



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem
Sancti Thomæ Tomvs ...**

Complectens Quæstiones à XXVII. vsque ad LXIV. & à Quæstione CVI.
vsque ad CXIV.

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1620

Prædicta opinio impugnatur. c. 4.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81000](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81000)

esset non perfecta, & ita imperfecta, vel sequeretur ipsam esse Dei imperfectiorem, quia propter illam Deo aliquid deesset. Quare si in creaturis relatio nulla esset perfectio, imperfectio sane eliceretur, at in diuinis non potest esse aliqua imperfectio, ergo cum relatio sit in diuinis, debet esse perfectio.

Quarta
ratio.

Quarto probatur, relationes diuinae sunt personalitates, quibus personae subsistunt, & constituntur: subsistere autem, & terminari naturam, ut sit persona, est perfectio, ergo & ipsa relatio, quæ est ultimus terminus, est perfectio.

Denique Damasc. i. de fide, c. ii. disertis verbis id docuit. Vnum quippe (inquit) Deum agnoscimus. in solis autem proprietatibus, nimirum paternitatis filiationis, & processionis, atque quantum ad causam, & ea, quæ à causa proficiuntur, ac personæ perfectionem, hoc est existendi modum, discrimen animaduertimus: ubi appellat personalem perfectionem, ipsam paternitatem, & quamlibet relationem.

CAPVT III.

Relationem personalem in Deo esse perfectionem, ac proinde tres perfectiones relativas in eo concedendas esse, putarunt Gabr. & alij.

4. **A**lij non solum docet, relationes diuinas esse perfectiones Dei secundum propriam rationem relationis, sed etiam tres esse perfectiones relativas realiter distinctas. Quam sententiam recentiores aliqui amplectuntur, & aperte docuit Gabr. in i. d. 7. q. 3. ar. 3. qui, ut explicet suam sententiam, more suæ scholæ varias affert acceptiones perfectionis, non quia reuera vocabulum apud Latinos tot modis vsurpetur, sed quia Nominales, ut aliquas fugiât difficultates, vocabulis ipsis ludere videntur. Inquit ergo duobus modis dici perfectionem, priori modo dicitur ea, quæ est simpliciter summa & infinita, cui impossibilis est aliqua imperfectio, & hoc modo tres relationes diuinae sunt tres simpliciter perfectiones. Posteriori modo dicitur perfectio simpliciter, quæ conuenit omni supposito diuino, & ita relationes in Deo non sunt perfectiones simpliciter, quia quamlibet illarum non conuenit omni supposito, atqui hoc pacto vna perfectio est in Patre, quæ non est in Filio, inde tamen non sequitur, filium esse imperfectum, quia de se illi perfectio Patris, nã imperfectum nõ eo dicitur, quod ei desit aliqua perfectio, sed quia non sit summum, & infinitum. Dictum est autem relationem quamlibet esse perfectionem priori illo modo, quia est summa & infinita, quare hic author plane cõcedit, aliquam perfectionem summam & infinitam esse in Patre quæ non est in Filio, & contra.

5. **F**undamentum præcipuum huius sententiæ est huiusmodi: Relatio, ut distingatur ab essentia, est vere ens reale: perfectio autem consequitur rationem entis, est enim passio illius, quæ dicitur bonitas, sicut etiam consequitur veritas: ergo in Deo sunt tres perfectiones relationis, multiplicato enim inferiori, necesse est multiplicari superius, ut multiplicato homine, necesse est multiplicari animal: ergo multiplicata relatione, necesse est multiplicari etiam ens, & bonum, seu perfectionem, quæ sunt superiora. Est autem in Deo tres res docet Anselm. lib. de incarnatione Verbi, cap. 3. Solemus (inquit) vsu dicere sem, quidquid aliquo modo dicimus esse aliquid, qui autem di-

Anselmus.

Fundamē-
tum præci-
pui huius
opinionis.

Explicit id
Gabriel ex
duplice ac-
ceptione
perfectionis

Gabriel.

Tres rela-
tiones tres
esse perfe-
ctiones, qui-
dam dicunt
Recentiores

cit de Deo Patrem, aut filium, aliquid de Deo diuinum esse sciunt, in Deo Patrem non esse Filium, & Filium non esse Patrem. Et paucis interiectis. Hoc ergo modo nihil prohibet, dicere duas personas, Patrem, & Filium esse duas res, si tamen intelligatur, cuiusmodi sunt res, idiplura indicat Concilium Remen. verbis quæ cap. 7. referemus, & Sanctus Thomas infra quæstio. 30. art. 1. concedit in Deo tres res cum additamento hoc, Subsistentes, & in i. d. 25. quæst. 1. artic. 4. concedit tres res sine vilo additamento. Pro hac sententia refertur Clithonæus in cap. 11. lib. 1. Damasc. de fide, sed ille longe aliter sentit, vtriusque sequenti cap. referemus.

CAPVT IV.

Prædicta opinio impugnatur.

Ego sane semper existimaui, sententiam hanc multum derogare mysterio Trinitatis, cum eas multiplicat voces, quas nunquam Patres autem sunt multiplicare. Nam nomen, Personæ, sicut & Bonitas semper singulariter Deo est a commodum: nec inuenias aliquem ex Patribus, qui tres perfectiones etiam relativas in Deo concesserit: sed semper, cum de perfectione, cum de bonitate loquuti sunt, vnam esse dixerunt. Nec solum concedere coguntur aduersarij tres perfectiones in Deo relativas, verum etiam tres sine vilo additamento, quod ipsi refugiant. Quia sicut absolute concedunt tres res, eo quod multiplicato inferiori, multiplicatur superius, absolute etiam concedere debent tres bonitates, & perfectiones, quia bonum, & perfectum sunt passiones entis, superiores ipsis relationibus, & non minus transcendentes, quam ens. Quod si negari deberet tres bonitates, & perfectiones sine additamento, solum propter scandalum audientiam, ne esset causa erroris, hoc non obesse, quo minus absolute, & sine additamento cessante scilicet de hoc, scilicet dum proprietatem vocis concedi possent, & deberent, hoc autem nullus dicere ergo non recte fertur multiplicato inferiori, qualis est relatio, multiplicari etiam quoduis superius.

Deinde ex contraria opinione sequitur primo, aliquam perfectionem diuinam conuenire vni personæ, quæ non conuenit alteri: quod hoc philosophico expositio manifeste colligitur. Paternitas non conuenit Filio, Paternitas est aliqua diuina perfectio, ergo aliqua diuina perfectio non conuenit Filio: quo vsque adeo male torquentur, qui præcedentem sequuntur opinionem, ut eos in varias impulerit sententias.

Respondent quidam, non esse concedendum, aliquam perfectionem esse in vna persona, quæ non sit in alia, quia tota perfectio relationum continetur in essentia eminenter propter illius infinitatem, & fecunditatem. Hæc tamen solutio infirma est, quia quantumvis concedamus perfectionem relationis eminenter esse in essentia, & ita in quavis persona esse perfectionem etiam eminenter, argumentum tamen continet, perfectionem quæ in vna est formaliter, alteri non conuenire formaliter, forma autem philosophica negari non potest, ut manifestum est, antecedens vero illius in maiori, & minori loquatur de perfectione formaliter, nõ solum virtute & essentia, ut patet, ergo inferitur in conclusione, aliquam esse perfectionem in vna persona formaliter.

ter, & ei formaliter conuenire, quæ non conueniat alteri, nec in ea formaliter fit.

Alij concedentes, aliquam relationem esse in vna persona, quæ non fit in alia, & tres esse perfectiones relatiuas, nihilominus dicunt, nullo modo posse concedi, vnam perfectionem esse in vna persona, quæ non fit in alia: eo quod hæc propositio est negans, ac proinde vniuersalis: negat ergo perfectionem vnius relationis ita esse in vna persona, vt nullo modo fit in alia, quod est aperte falsum: quia perfectio relatiua, quæ est in Patre, est etiam in Filio, non respectiue, sed absolute, eo ipso quod in filio est ipsamet essentia, & natura patris, aliquo igitur modo perfectio relatiua patris est etiam in filio. Sed hi doctores sui non memores, vt oportebat, paucis videntur destruere, quæ posuerant. Nam cum dicunt esse in Deo tres perfectiones reales relatiuas, non loquuntur de perfectione Dei, quatenus absoluta est, sed sub formali ratione relationis, & respectus: alioqui si de ea loquuntur, quæ est in Patre, & Filio, & Spiritu sancto simul, non est relatiua, sed absoluta, nec tres perfectiones, sed vna dici debet. Cum ergo dicunt, ex tribus perfectionibus relatiuis vnam esse paternitatem, alteram filiationem, alteram spirationem passiuam, concedere debent consequenter, perfectionem paternitatis ita esse in patre, vt non sit in filio, quatenus distincta perfectio ab alijs constituitur, & sic de cæteris, ne, si dicant, omnes esse in singulis personis, cogantur concedere, esse vnam, non tres perfectiones, contra id, quod posuerant. Præterea syllogismus legitimus est, & conclusio negans. Ergo aliqua perfectio non est in filio, non est vniuersalis, sed particularis, vt patet, quare non negat omnem perfectionem, nec omni modo, sed negat aliquam perfectionem esse in filio, quod sane legitime inferitur.

Alij denique conuicti prædicto argumento plane concedunt, esse aliquam perfectionem in vna persona, quæ non est in alia, sed dicunt, hanc esse relatiuam, & ita non esse absolute dicendum, aliquam perfectionem non esse in aliqua persona, sed cum additamento, relatiuam. Hoc tamen non minus manifeste redargui potest, primo quoniam, vt supra probauimus, si concedimus tres perfectiones relatiuas, concedi etiam possunt, secundum scandalum, tres perfectiones absolute secundum proprietatem sermonis, ergo eodem modo non solum dicendum est, esse vnam relatiuam perfectionem in vna persona, quæ non fit in alia, verum etiam absolute secundum proprietatem sermonis. Et sane syllogismus, quem supra formauimus, absolute sine additamento colligit conclusionem hoc modo: paternitas non inest filio, paternitas est perfectio, ergo aliqua perfectio non inest filio, constat autem in conclusione non esse addendum, Relatiuam, quia in nulla præmissa additamento illo aliquam perfectionem non esse in aliqua persona, ergo necesse est, vt dicamus, omnes relationes esse eandem perfectionem, non recte inferitur, ex eo quod paternitas non fit in filio, aliquam perfectionem in eo non esse.

Verum aliqui respondent, relatiuam illam perfectionem non esse simpliciter simplicem iuxta definitionem Anselmi in prologo, cap. 5. quæ melior est ipsa, quam non ipsa, relatio enim non

Vazquez in 1. partem Tom. II,

est melior ipsa, quam non ipsa, alias melior esset paternitas, quam non paternitas, ac proinde quam filiatio, hoc autem genus perfectionis concedere in vna persona, & non in alia non est incommodum. Sed certe de finitio Anselmi non debet intelligi respectu cuiusvis personæ, vt in qualibet melior sit ipsa, quam non ipsa, sed respectu naturæ in diuina, cuius est perfectio, atque respectu diuinæ essentia, quæ relationibus perficitur, melior est paternitas, quam non paternitas, & filiatio, quam non filiatio, & spiratio, quam non spiratio, hoc est, melius est esse in tribus personis, quam non esse, & melius est esse in patre, quam non esse in patre: non dico, quam esse in filio, sed quam non esse in patre: ex eo autem, quod est in filio, non sequitur non esse in patre, est ergo quæuis in Deo relatio perfectio simpliciter simplex. Et sane dignum non est, aliud genus perfectionis Deo, tribuere, quia quidquid Deus est, melius est esse, quam non esse, concedere autem perfectionem simpliciter simplicem in vna persona, quæ non fit in alia, videtur incommodum.

Secundò ex opposita sententia sequitur, patrem non esse perfectum, quia teste Aristot. 3. Phisic. cap. 3. & 5. Metaph. cap. 16. perfectum est, extra, quod nihil est, hoc est, cui nihil deest, intelligitur autem in suo genere; nam sapientia formaliter perfecta dicitur, cui in genere sapientia nihil deest, etiam si illi non conueniat ratio misericordia; quare si patri æternò desit aliqua diuina perfectio non erit perfectus, sed filiatio est diuina perfectio distincta à paternitate, ergo cum patri desit filiatio, deerit ei aliqua diuina perfectio, & erit Deus imperfectus.

Tertiò. Si relationes essent tres perfectiones in Deo, non possent esse æquales formaliter; ergo vna esset maior altera. Nam cum inter æquale, & inæquale non sit medium, quod non est æquale, debet esse inæquale, quod autem est inæquale alteri, est eo maius, aut minus: esset igitur vna persona maior, & magis perfecta, quam alia, quod est absurdum. Porro autem perfectiones illas relatiuas æquales esse non posse, probatur: quoniam illæ differunt quasi specie, & contrariæ sunt, ergo earum diuersitas est quasi in natura, & ratione formali, sicut autem diuersitas in quantitate facit inæquale; sic etiam diuersitas in substantia, vel quidditate facit inæquale in eo genere, cum igitur relationes sint contrariæ, & quasi diuersæ specie, erunt diuersæ naturæ, ac proinde inæquales; quod si maius aliquid erunt tres personæ cum tribus perfectionibus relatiuis, quam quilibet illarum, eo, quod in tribus tres sint perfectiones, & vna earum sit maior: consequens autem absurdum est, & contra doctrinam Augustini 3. lib. contra Maximinum, cap. 10. & serm. 38. de tempore, ubi inquit, in Deo non esse quid maius tres personas simul, quam quamlibet illarum, quia in omnibus est eadem essentia, & natura, qua ratione omnem earum perfectionem in natura, & essentia constituere videtur. Idem habet 6. de Trinitate, cap. 8. & 10. & lib. 8. de Trinitate, cap. 1. ideoque Anselmus in Monologio, cap. 53. inquit: Pater, & Filius, & Spiritus sanctus sunt in se inuicem tanta æqualitate, vt nullus alium excedat. Reddit rationem, Quia vnusquisque earum est perfectus, & summa essentia. Et in Prologo, cap. 23. Quod est singulusquisque, hoc est tota Trinitas, quia

singulusquisque non est aliud, quam summe simplex unitas.

Prima solutio huius ultimi argumenti refellitur.

Respondent nonnulli, ideo non esse unam relationem magis perfectam, vel maiorem perfectionem, quam sit altera, quia utraque formaliter includit essentiam in suo conceptu. Sed contra hoc est primum id, quod supra disput. 121. cap. 2. diximus, nimirum essentiam non includi formaliter in conceptu relationis. Deinde, etiam si includeretur, nihilominus cum tres dicantur in Deo esse perfectiones, & inter se diuersæ, & contrariæ sint, non poterunt non esse inæquales, & una altera maior, quatenus inter se sunt diuersæ, & oppositæ: nam hac ratione non possunt habere unitatem in quantitate perfectionis, quæ facit æquale. Respondent alij, non opus esse, ut ea, quæ specie, & ratione formali differunt, semper sint inæqualia: neque putant absurdum, species rerum, quæ inter se differunt, esse æqualis perfectionis. Verum cum omne æquale sit alteri æquali commensurabile, eo modo, quo æquale est, & ea, quæ sunt diuersæ rationis, nequeant commensurari, falsum est asserere, aliqua specie distincta posse esse æqualis perfectionis: perfectum, quia eo ipso quod diuersæ rationis sunt, diuersam quantitatem perfectionis habent; ac proinde inæqualitatem perfectionis habere debent. Quare Aristoteles 4. Metaphys. cap. 8. tex. 18. ostendens inter falsa quoddam maius esse, quoddam minus inquit, *Sic itaque non similiter, pater, quod alterum minus, hoc est, si ille qui dicit, quatuor esse quinque, non eodem modo mentitur, atque ille, qui dicit quatuor esse mille, sequitur, quod alterum sit minus falsum.* Hac eadem forma arguendi in præsentia vii possumus hoc modo: paternitas non est eiusdem rationis, atque filiatio, ergo non est similis ei: ergo altera maior est.

CAPVT III.

Quando una persona dici possit maior alia, non dignior, aut perfectior.

Decipitur Clichouæus dum asserit Patrem principaliter rem esse quam Filium. Falso cum aliqui exphrasant Græcorum Patrum.

EX dictis sequitur, lapsum fuisse Clichouæum in cap. 1. lib. 1. de fide Damasceni, cum ait in hæc verba: Et ob huiusmodi differentes proprietates, personalis inuenitur in diuinis perfectio: non quidem secundum naturam, sed secundum rationem originis. Nam principaliter est existendi modus patris, qui a nullo est, quam ceterorum duorum, qui ab eo sumunt originem. Vbi non contendit, ut recentiores aliqui autumant, adstruere in Deo tres perfectiones relationas, sed secundum phrasim Græcorum Patrum concedere aliquod genus excellentiæ secundum originem, qua una persona alteri antecellat. In quem sensum Græci Patres appellant Patrem maiorem Christo, iuxta illud Ioan. 14. *Pater maior me est*: nam secundum essentiam dicunt esse æquales, quæ ratione intelligunt illud ad Philippe 2. de Christo, *Esse se æqualem Deo*. Sic interpretantur illud Ioan. 14. Nazianze. orat. 35. quæ est 3. de Theologia, à numero 57. Athanas. orat. 2. contra Arianos, longe ante finem, Basil. libro 4. contra Eunomium, cap. de hoc dicto Euangelij, Origenes homil. 2. in diuersos, quæ habetur 2. tomo, imo & Damascen. lib. 1. de fide capite 4. qui dicunt, Patrem appellari maiorem, non natura, sed proprietate. Notat autem Athanasius non dici maiorem, sed maiorem, quia melior refertur ad essentiam, maior autem priorita-

tem originis, & causæ, etiam denotat cum identitate naturæ, & æqualitate. Idcirco Hilarius, qui loquitur ex Latinis 9. de Trinitate, longe à medio, sequitur sententiam Græcorum, sic ait: *Major vique Pater est, dum Pater est: sed Filius, minor non est. Natiuitas Filij Patrem constituit maiorem, minorem vero Filius esse natiuitatis natura non patitur*: ac si dicat, ratione proprietatis, non naturæ Pater est maior, id quod expressit, cum dixit: *Natiuitas (hoc est, origo) Filij Patrem constituit maiorem*. Et eadem ratione debet Hilarius concedere filium esse minorem: quia maior, & minor relative mutuo dicuntur: sed quia filius non est minor essentia, & natura: ideo subdit: *Minorem vero esse filium, natiuitatis natura non patitur*: non dicit, natiuitas non patitur, sed natiuitatis natura non patitur, nam sicut dixerat, patrem constitui maiorem natiuitate filij, cogebatur concedere, eadem natiuitate constitui filium minorem, quia hæc reciprocatur: dixit ergo, *natiuitatis natura*, ut indicaret, nec filium esse minorem, nec patrem maiorem naturæ, & substantiæ, sed sola natiuitate, ratione enim primi principij, quia est author sine auctore, Patrem appellat maiorem Phæbadius in libro contra Arrianos, post medium qui habetur tomo quinto Bibliothecæ sacræ. Ego sane puto Græcos patres, & Hilarium nomine maioris non aliud significasse, quam priorem, ut ratione originis, vel causæ, ut ipsi loquuntur, appellarent Patrem maiorem, hoc est, priorem: & Filium minorem, hoc est, posteriorem. Quomodo vero illud testimonium Ioan. 14. *Pater maior me est*, referatur ad humanitatem Christi, & qui Patres ita intellexerint, dicemus 3. part. quæstio. 20. artic. Hoc eodem sensu Nouatianus libro de Trinitate, in fine dicit, Filium æternum subiectum esse Patri, & idem Filium accepta ferre Patri cuncta sua subiecta. Et eadem ratione non pauci Patres Græci & Latini, quos referemus infra quæstio. 4. artic. 6. dicunt Filium fuisse ministrum Patris in creatione rerum, & alia huiusmodi, quibus prioritatem, & dignitatem originis in Patre denotare solum voluerunt.

Verum enim vero propter hunc modum loquendi Græcorum Patrum non debet asserere Clichouæus, esse dignitatem, hoc est, excellentiam inter personas: sic enim vnâ videtur facere digniorem, & maioris authoritatis, quam viliam, quod nequaquam concedi potest: cum huiusmodi loquendi non solum prioritatem originis, sed etiam maiorem dignitatem naturæ significet. Nam licet Damascen. libro 1. de fide, cap. 11. dicat in Deo esse perfectionem personalem, id tamen non asserit comparatiuè inter personas, quasi vna perfectior, seu dignior sit alia, ut putauit Clichouæus, sed quia natura diuina intelligitur perfecta suis personalitatibus, ut supra cap. 2. monstratum est. Quare idem Damascenus eodem lib. 1. cap. 9. sic ait: *Quo fit, vto minus, quæ 2. habet, filij sunt, hoc vno excepto, quod vnigenitus non est, quæ quidem vox nec natura diuina, nec dignitatem, & auctoritatem, sed existendi modum indicat.* Quibus verbis ostendit proprietatem ingeni, ratione cuius postea in eodem capite dicit, patrem esse maiorem filio, non significet, patrem esse maiorem filio, non significet dignitatem, seu authoritatem: intelligit autem naturæ, sicut proximè dixerat, non significare dignitatem naturæ. Et idem nullus Patrum vitæ huius